



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

143. Domus: Ex Apuleio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

T E M P L V M .

De urbibus, templis, & ædibus dixi superiori libro, non erit tamen hic abs re audire Egnatium de Venetiani templi structura.

Descriptio C X L I .

T E M P L V M D. Marci Venetijs, non tam magnitudine, & vastitate sua, quam ornatu insigni: & in primis augustum, si primum ingrediare, crucis figuram præferre videtur: cuius anguli in altissimas consurgunt tures, ac testudines: quarum fastigia, ut reliqua templi facies, plumbeis regulis adoperta, ad centum viginti stadia ex alto ad urbem nauigantibus, inter eminentissima urbis ædificia occurrant, superbissimi ad id fornices, mira inter se arte coeuntes totam molem fulciunt. Quicquid operis est à media templi parte, purissimo fulget auro. Mulsito opere mirificè variegatum: in ipso testudinum connexu Græcæ arti operis vetustissimæ imagines, mæsta quadam, ac venerabili præsentia horrorem cum religione mixtum oculis spectantium insunt, marmoreæ vndique tabulæ, ad pavementum vsque ipsum, varij marmoris, occurrunt, tanto artificio sibi ad inuicem compositæ, ut eadem inter se similes videri possint. Sedilia circum eadem marmorea: Pavimentum vermiculato opere marmoreis fructibus distinctum. Columnæ complures Patij lapidis, vel Thapsici, aut Numidici, cum duplici suggestu marmoreo. Caurum decreto publico fuerat, ut quicquid egregij operis Veneti, ipsi nauigantes, quocunque terrarum ambirent, id ipsum Venetias deferrent. Vestibuli aurei fornices, trecentis, & amplius fulciuntur columnis, magnitudine, & colorum varietate conspicuis, intercolumnia, & quicquid in area ipsa operis est cum ipso pavimento, marmoreis tabulis pro tectorio renidet, vestibuli partem superiorem, equi quatuor ænei diuerso statu, varioque exornant, templi supercilium senis sese pinaculis explicat: quorum singula in tabernaculi speciem surrecta singulas habent ex candido lapide statuas, nudi genij, aliaque splendidissimi aspectus simulachra, suo

quæque statu operibus inserta, miro quodam modo ipsam pinnarum exornant intercapedinem. Extractum ferunt sub Sebast. Ziano duce ab architecto Constantinopolitano.

D O M V S .

Ex Apuleio.

Descriptio C X L I I .

I Amque sufficienti recreata somno, placidior surgit animo: videt lucum proceris, & vastis arboribus constitum; videt fontem vitreo latice perlucidum. medio luci meditullio, propè fontis ad lapsum domus regia est, ædificata non humanis, sed diuinis manibus, ac artibus. Iam scies ab introitu primo Dei cuiuspiam luculentum, & amœnum te videre diuersorum. Nam summa laquearia citro, & ebore curiosè cauata, subeunt aureæ columnæ: parietes omnes argenteo cælamine conteguntur: bestijs, & id genus pecudibus occurrentibus ob os introeuntium. Mirus prorsus magnæ artis homo, imò semideus, qui magnæ artis subtilitate tantum effigiauit argentum: Enimuero pavimenta ipsa lapide pretioso cæsim diminuto in varia picturæ genera discriminantur vehementer: Iam cæteræ partes longè lateque dispositæ domus, sine pretio pretiosæ, torique parietes solidati massis aureis splendore proprio coruscant, ut diem suum sibi domus faciat, licet sole nitente: sic cubilia, sic porticus, sic ipsæ valvæ fulgurant. Nec secus opes cæteræ maiestati domus respondent, ut equidem illud rectè videatur ad conuersationem humanam magno Ioui fabricatum cæleste palatium.

(**)

Eccc 3. NA-